



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 51. Decretum contra Eugenium Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1437.

Prænestinam urbem destruxerit, plura  
alia Patrimonii S. Petri loca prædantium  
furori exposuerit, unionem Græcorum im-  
pediverit, ac denique juramentum, quo  
ad summum Pontificatus apicem voca-  
tus se adstrinxerat, violare, ac auctori-  
te sua variis modis abuti præsumpserit.  
Ergo Synodus Eugenium in jus vocare  
censuit, ut infra sexaginta dies coram  
Patribus in unum congregatis vel per se  
vel per Procuratorem suum crimina sua  
objecta dilueret. Hæc sancita ac præ-  
mulgata fuere in Sessione XXVI die Mer-  
curii trigesima prima Julii celebrata (\*).

## §. LI.

*Decretum contra Eugenium Papam.*

Labbe Conc.  
20.12. p.581.

Patres in hoc decreto labores exponunt  
quos solidis sex annis exantlassent, ut  
Ecclesiam in Capite & membris reformar-  
rent.

(\*) Cum a Sessione vigesima quinta, ut in-  
quit Natalis Alex Dissertat. 8. art. 3. n. LXV,  
Synodus Basileensis duas in partes scindi capitis  
sufficienter Ecclesiam universalem repræsentasse  
non videatur, nullius ponderis habenda sunt  
cuncta contra Eugenium ab Acephalis Basileen-  
sibus actitata. Continuator tamen, qui in ma-  
teria hujus Concilii acta Patriciana sequi pro-  
fessus est, ex iisdem ad sessionis XXVI decre-  
tum

rent, necnon avaritiæ, simoniæ, aliorum-  
 que abominabilium scelerum pestem ex-  
 tirparent. Postea inquit, se revocasse  
 electionum jura, ut dignitates Ecclesiasticæ  
 & beneficia dignis, ac idoneis Pastoribus distri-  
 buerentur. Demum suorum decretorum  
 opera universum Clerum ac populum in  
 suo officio continere studuisse: sed illum, qui  
 primus hæc exequi deberet, quemque canones  
 sacrorum Conciliorum præ cæteris servare  
 oportuerat, unice eos evertere intentum  
 esse, nullaque unquam monitione, ulla ex-  
 hortatione induci jam longo tempore potuis-  
 se, ut aliquam morum emendationem Christo-  
 placentem, aut notissimorum abusuum corre-  
 ctionem in Ecclesia sancta Dei efficere satage-  
 ret. Subjungit decretum: Propter hanc  
 inobedientiam Synodus decernit, ut infra  
 sexaginta dies, si qua pro sui defensione aut ex-  
 cusatione alleganda vel proponenda duxerit,  
 per se, vel alium ad hoc legitime deputatum

T 2

coram

tum referre debuisset verba Patritii dicentis:  
 hoc decretum editum fuisse protestante Julia-  
 no Concilii Præsidi, & conquerente, quod su-  
 per defensione Pontificis non audiretur, quem  
 & Cardinalis S. Petri ad vincula & plerique  
 optimi Patres sequebantur, quibus etiam dilatio  
 ad tertiam diem derogata, & præter ordi-  
 nem eodem die generalis Congregatio, & pu-  
 blica sessio habita est.

Sæcul. XV.  
A. C. 1437.

coram Synodo Basileæ compareat. Dico autem elapso termino, siue comparuerit siue non, eadem hæc Synodus ad ulteriora procedet, cognoscendo, & terminando, prout conspexerit expedire. Universis insuper S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præcipit, ut in civitate Basileensi compareant, salutis S. Matris Ecclesiæ consulturi, & opportune provisiuri. Hoc ipsum quoque universis Principibus & populis Christianis vult innotescere, ut videntes S. Matris Ecclesiæ, & universæ Christianitatis angustias in unam sententiam pro honore Dei, & animarum salute pariter conveniant.

§. LII.

*Bulla Eugenii de translatione vel dissolutione Basileensis Synodi.*

Hac Concilii citatione non modo Pontifex adeo nil commotus fuerat, ut potius duodecimo die ante elapsam citationis terminum alteram Bullam de transferendo vel dissolvendo Concilio publicaret, declarans, illam omnino executioni dandam, si duplex emergeret casus, Primo, si & in quantum in Basileensi Concilio existentes, in obstinato proposito suo perseveraverint, vigore prætensi citatorii in aliquo procedendo, aut contra Papam, vel Cardinales, vel Præsidentes & oratores suos, aliquam aliam novitatem inferendo. Ac propterea  
sub